



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Argumentum secundæ partis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

# SECUNDA PARS DE TITULO, ET ALIIS PRÆ- FATIONIBUS REGULÆ,

NOBIS AB ALBERTO PATRIARCHA HIEROSOLY-  
MITANO TRADITÆ.

*Argumentum secunde partis.*

**P**RÆMISSIS Regulis, alijsque majorum nostrorum institutionibus, antequam Alberti Regulam commentariis exponamus; opera pretium existimamus, quadam alia in hac secunda parte præfatione, quæ sunt veluti præfationes eorum, quæ in hoc opere tractanda sunt, Decretis igitur à titulo sive inscriptione Regula initium sumere.

Titulus autem hic initio Regulæ præfixus habetur:

*Regula Fratrum beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli.*

**S**Vnt autem hæc verba non Regulæ pars, sed potius superscriptio, si-  
ve rubrica eorum, quæ in Regula continentur. Quare sicut pruden-  
ter jurisperiti, qui aliquem juris titulum explanare aggrediun-  
tur, prius rubricam, sive inscriptionem, veluti primam januam ad ce-  
terorum cognitionem aperire consueverunt; ita nos non abs re à  
regulæ titulo, & inscriptione ordiemur: ut ceteris rebus, quæ in Re-  
gula continentur, majorem lucem, ac claritatem afferamus. Igitur circa hunc titu-  
lum tota hæc introductio conversabitur primò de etymologia hujus nominis *Regu-  
la*, de Authore, & tempore, deinde de titulo beatæ MARIÆ Virginis, quo in signi-  
tur, de ejus (supra alias Regulas) perfectione, de scopo sive fine (quem logici obje-  
ctum appellant,) ac tandem de ejus obligatione differemus. Hæc enim sunt, quæ  
circa nostram Regulam, antequam ejus litteram exponamus, præcognosci de-  
bent.

## D V B I V M I.

De etymologia hujus nominis *Regu-  
la*, & de definitione nostræ  
Regulæ.

**N**Omen hoc quàm latissimè patet, & varijs ac-  
ceptionibus apud variarum artium professo-  
res gaudere solet. Quare æquivocum, & multi-  
plex illud appellat Archidiaconus *distinct. 3. Cap.  
Regula*. Omnis enim, vel à alijs significationibus, de  
quibus latè tractant juris interpretes in *l. 1. de reg.  
jur. & dict. Cap. Regula*, eas tantùm hoc loco ad-  
ducam, quæ in aliquo sensu adaptari possunt Re-  
gulæ Religionum.

*Archidiaconus*  
Primò igitur, ut *Isidorus lib. 6. etymologiarum  
cap. 16. & refertur dist. 3. Cap. canon. & c. Regula*, af-  
firmat, id quod Latine *regula* dicitur, Græcè *canon*  
nuncupatur. Est autem regula ab eo dicta, quòd  
rectè ducit, neque aliquem aliofatum trahit. Alij  
verò, quorum *Isidorus ibidem* meminit, regulam  
dictam existimant, vel ab eo, quod regat; vel eo,

quod formam bonè vivendi præbeat: vel quòd  
distortam, pravumque corrigat. Hæc *Isidorus*.  
acceptio-  
tiona  
expo-  
nuntur.

Simitur præterea regula pro brevi, & compen-  
diola præceptione retum, ut colligitur ex *Cap.  
quæro 11. q. 1. & sentit Archidiaconus*, ut supra: quæ  
acceptio omnes artes proprijs funguntur regu-  
lis: habent enim Grammatici, Medici, Jurisperiti,  
ac alij in suis facultatibus proprias regulas, quibus,  
veluti quibuldam suæ artis dogmatibus, instruun-  
tur, ac informantur. *Cap. quæro 11. q. 1.*

Juxta has Regulæ acceptiones non incommo-  
dè Religiosorum Regula usurpari potest. Et ut à  
prima, quæ *Regula* pro *Canone* sumitur, incipiam,  
non est dubium, ob hanc Regulæ cum Canone  
affinitatem, sive, ut proprius loquar, identitatem,  
olim Canonicos Regulares fuisse appellatos à *Ca-  
none* sive *Regula*: quia communem quandam vitæ  
Regulam, institutumque observabant. Ideoque  
Canonici Regulares sunt nuncupati: in quo etiam  
sensu canonicè vivere dicuntur à Gregorio *Cap. quæ-  
niam 12. quæstione 1. qui communem, & Re-  
gularem vitam profitentur*, Cui etiam nominis  
appellationi adhæsit Justinianus *novella 59. ubi  
quasdam mulieres, quia communem vitam, &  
Regu-*